



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno DLXXVII. ad annum DXC.

Parisiis, 1644

Epistola XLVI. Gregorii Papae I. Ad Sabinvm Diaconvm. Vt Bonifacii
episcopi a clero suo accusati causa diligenter vna cum quinque episcopis
inquiratur.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15221

EPISTOLARVM LIBER VII. 657

^{* al. to-}
rum.
tarium in solatio tuo adhibeas, & quascumque res eum qui defunctus est constiterit reliquisse, sub breui annotare, quoisque prædictus Pantaleon redeat in^{*} tutum, studiose facere debeas. Quod vt melius possis implere, filium nostrum Ioannem virum memorandum tribunum in tuo pariter stude adhibere solatio. De quo omnino confidimus, quia, si ei voluntatem nostram prodideris, devote se tibi accommodare non deneget. Pariter etiam studii tui sit, quoniam quædam apud se sacrata prædictus Ioannes habuisse ministeria perhibetur, & ea diligenter inquirere, & cum omni cautela in tutum facere, nobisque subtiliter quidquid inuentum fuerit indicare. Ita ergo experientia tua hæc quæ scripsimus facere solicite & curare festinet, vt non possit esse culpabilis. Nam si negligens esse potueris, ita te nostros noueris motus incurrere, vt nulla te postmodum possis excusatione defendere. Data mente Aprili, inductione secunda.

EPISTOLA XLVI.

GREGORII PAPÆ I.

AD SABINVM DIACONVM.

Vt Bonifacii episcopi a clero suo accusati causa diligenter vna cum quinque episcopis inquiratur.

Gregorius Sabino diacono.

CLERVS ecclesiæ Regitanæ multa contra reuerendissimum fratrem nostrum Bonifacium episcopum suum data nobis petitione conquestus est, petens vt ad nos debuisset habere veniendi licentiam, quatenus causæ ipsæ hic subtiliter probarentur. Sed quia nos interim prædictum fratrem nostrum huc modo non præuidimus deducendum, visum nobis est illic deputare personam ad causam eamdem cognoscendam. Et ideo mediis sacrosanctis euangeliis experientia tua vna cum Paulino, Proculo, Pallumbo, vel Venerio, atque Marciano reuerendissimis fratribus coepiscopisque nostris, sine cuiusquam personæ respectu, tam clericorum querela, quam aduersus suum, sicut diximus, habent episcopum, vel si quam forte ille contra eos habuerit, cum omni æquitate ac solitudine perscrutetur. Et quidquid in veritate cognouerit, nobis vna

Concil. Tom. 13.

O o o o

cum prædictis fratribus nostris subtiliter diligenterque significet, ut renuntiatione vestra redditi certiores, quid fieri debeat decernamus.

EPISTOLA XLVII.

GREGORII PAPÆ I.

AD PAVLINVM, PROCVLVM, &c.

*Gregorius Paulino episcopo Taurenſi, Proculo episcopo Nicoteræ,
Palumbo episcopo Consentiae, Venario episcopo Vinomenſi,
Marciano episcopo Locrenſi.*

CLERVS ecclesiae Regitanæ multa contra reuerendissimum fratrem nostrum Bonifacium episcopum suum data nobis petitione conquestus est, petens ut ad nos debuiffet habere veniendi licentiam, quatenus causæ ipsæ subtiliter probarentur. Sed quia nos interim prædictum fratrem nostrum huc modo non præuidimus deducendum, visum nobis est, illic personam deputare ad causam eamdem cognoscendam: & ideo mediis sacrosanctis euangeliiis, fraternalitas vestra vna cum Sabino diacono resideat: &, sicut officio est sacerdotali conueniens, sine cuiusquam personæ respectu, & cetera ut supra.

EPISTOLA XLVIII.

GREGORII PAPÆ I.

AD ANASTASIVM EPISCOPVM ANTIOCHENVM.

De cura pastorali. De eo quod non rectæ fidei homines ad facros ordines minime prouehi debeant. Et de corrupta Synodo Ephesina ab hereticis. Et de damnatione Pelagii & Cœlestii.

Gregorius Anastasio episcopo Antiocheno.

FRATERNITATIS tuæ scripta suscepi, professionem fidei recte seruantia: magnasque omnipotenti Deo gratias retuli, quod & immutatis gregis sui pastoribus fidem quam semel sanctis patribus tradidit, etiam eam post eos immutablem custodit. Prædicator autem egrius dicit: *Fundamentum aliud nemo potest ponere præter id quod possum est, quod est Christus Iesus. Quisquis ergo cum dile-*